



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Theologicae Refutatoriae Apologiae Pro Nuperis Anti-Thesibus

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1685?]

Præfatio Ad Lectorem

urn:nbn:de:hbz:466:1-40589



P R Æ F A T I O
A D
L E C T O R E M

A Pologia pro *Anti-thesibus ad Theses Theologicas nostras*, pergit confirmare duas assertiones, facta concernentes, abundè, uti credebamus & etiamnum credimus, refutatas per *Theses nostras Theologicas Anti-thesibus oppositas*.

Prætereà pergit urgere responsum ad præliminaria.

Denique conatur rationes aliquas prætexere, ob quas justum videatur, quod Patres Societatis non exhibeant Doctrinæ suæ Articulos, quemadmodum nos fecimus.

C O N C L U S I O P R I M A.

§. I.

Rursùs ostenditur, quod in conventionem coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi, nec expressè, nec implicitè sint admittæ conditiones, vi quarum liceret Patribus, antè traditionem suorum Articulorum exigere aliqua, veluti præliminaria.

Per ultimas Theses nostras, quas *Anti-thesibus* opposuimus, Concl. I. evertimus assertionem R. Patris DE PAPE de conditionibus adjiciendis.

Primò, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus non semel, sed sæpiùs, in secundâ conferentiâ, quæ habita fuit 26. Aprilis asseruerit contractum coram se esse initum ABSOLUTE, SINE EJUSMODI CONDITIONE, SIMPLICITER &c.

Secundò, quod in eadem conferentiâ idem, quod ab Illustrissimo D. Archiepiscopo, etiam à me sæpius dictum sit.

Tertiò, quod R. P. DE PAPE nullam fecerit in istâ Conferentiâ mentionem conditionis,

A 2

tionis,